

Res.

Imp. Ev.
Séc. XVI

N.º

9, 10

VIII CENT. DA
RECONQUISTA
CRISTÃ DE ÉVORA

— . —

EXP. BIBL. E ICON.
B. P. E. — N.º 349

G E V C 3 D n° 17

Sumas 105-d-2:-

~~17~~

Reinado n° 155

AD PHILIPPVM
MAXIMVM HISPANIA-
RVM REGEM.

L. ANDREÆ RESENDII
LV SITANI.

Ad maturandam aduersus rebelleis
Mauros expeditionem,
cohortatio.



apemenda que va dan. Letra 1a copiada
da que escreves o meyma Letra de propria
Letra, e de da meyma dmei.

PHILIPPO, HISPANIA-
rum regi maximo.

Forſitan arguerit quiſquam hoc,excelſe Philippe,
Quod pede me modulôq; meo non metiar,auſus
Muſa inopi pulſare tui ſaſtigia ſumma
Culminis,ignotus tibi,nec de ſorte tuorum.
Si tamen expendas animo rem preſſius,atq;
Maternam gentem,& conſanguinitate propinquos
Luſiadum reges,iam non alienus habebor,
Quantumquumq; rudis vates,& acuminis exſors,
Nec terſo eloquio,numeris nec molliter inter
Seſe connexis,Quod non admitto grauate.
Non externum igitur,licet ignotum haſtenus,audi,
Si nec inutiliter te compellaro,nec aureis
Non opportunis tibi nunc onerauero dictis.
Reſ à te geſtas præclare,& bella ſub Arcto
Continuata diu gelida,Gallôsq; feroces
Fortiter,êq; tua retro ditione repulſos,
Belgarúm q; graueis de religione tumultus
Marte & conſilio exſtinctos,domitám q; ſuperbæ
Perfidiam ſectæ,punitaq; crimina digno
Supplicio,iuſtâ q; nefas mercede pïatum,
Et memini,& ſeculis mandabit fama futuris.
Sunt hæc magna quidem,ſedenim maiora ſuperſunt,
Quæ niſi perficias,minuiſſe videbere prima.
Treis ſi contentus bene digeſſiſſe poëta,
Inde remiſſo animo quartum dormitet ad actum,
Fautricis caueæ murmur,plauſúm q; theatri
Exſpectet fruſtra,fruſtra, Vos plaudite,cantor

Inculcet decies, non respondente corona.
Tu quoq̃, quuius item vita est exposita theatro
Non tantum Hesperiaẽ, sed qua sol vergit ad Austros,
Aduersosq̃ subit propiori luce triones,
Prodisti in scenam. partes feliciter actæ
Sunt aliæ, extremam tandem modo postulat vsus.
Quantum armis actum est, tua quod sapientia terris
Contulit, hoc vno, tibi quod nunc restat agendum,
Altius adcrefcit, contra, depletur omisso.
Ne te detineam, pacem connubia nobis
Gallica præstiterant, duo nunc amplissima regna
Exstinctis odijs, optata pace fruuntur.
Quid prodest, si regna domi impacata relinques?
Impia posteritas Maurorum, opulenta potentis
Granatæ, qui sceptræ diu tenuẽre, nefandam
Post cladem quam passa tua est Hispania quondam,
A proauo deuicta tuo, permissaq̃ leni
Imperio sibi habere domos, sibi prædia, & hortos
Fontibus inriguos, vitreo vel singilis amne,
Perq̃ salutiferos monitus, posuisse lauacro
Purificante, luem veterem iam credita, iamq̃
Æquo iure pñs interlita ciuibus, arma
Cæpit, & in montem signis fugitiua Niualem,
Qui, quondam Illiberis vestigia prospicit vrbis,
Extentis secessit, vbi regemq̃ creauit,
Cælatumq̃ nefas bello patefecit aperto.
Dissimulata diu sanioso struma veneno
Disrupta est tandem, fuit exitiabile virus,
Perniciemq̃ tuis casumq̃ minatur Iberis.
Arma Philippe, cape arma, sagis bombycina cedant.

Ad saga te res ipsa vocat . non ludicra bella
Esse putes . validæ aduersum coiêre coortes .
Exspectâs ne suis donec Maurusia pestis
Auxilio veniat : breue quæ vix amplius hora ,
Trañciâtq; fretum , Calpetanúmq; per vmbra
Obcupet insidijs litus : non Munda vacillet :
Non Malacitanum feriat trepidatio portum :
Num non exemplo simili turbabitur Accis :
An Bastetanis ad res heinc ansa nouandas
Non dabitur : dubias nec spes Illurco fouebit :
Impellét ne parum tacita expectatio Murgin :
Ad portum Asdrubalis num non cognatio Pœnos ,
Conditor , & patrio dictum de nomine nomen ,
Commoditâsq; loci non inuitare videntur :
Quin quæquumq; mala de stirpe , vbiquûq; supersunt
Reliquiæ , veluti rediuiuo germine radix
Non runcata satis pergit fruticare , saliuam
Ad veterem obsceni cultus , nisi sedulus instes ,
Et ferro obcurras , morbo serpente , redibunt .
Nam quod in officio , rebus non ante nouatis ,
Hac mansêre tenus , pietas simulata , metûsq; ,
Causa fuit , non fixa bonæ sententia mentis .
Nunc , velut è specula , euentum finémq; tumultus
Montani opperiunt . ac tesatagente , quiescent ,
Deside , seruitij rumpent retinacula ficti .
Eia age rumpe moras , intutaq; castra , nec vllò
Quam subdifficili adscensu , munimine septa ,
Agminibus præcinge tuis , pluteôsq; iubeto
Vimineâsq; iugis pariter submittere crateis ,
Non equidem augurio fallor . terrebitur ipso

Adspectu, scelerisq; sui sibi conscia, vero
Impia turba metu, sero cum rege Philippo
Rem sciet esse sibi. Nec te dubitauerit alto
Inspiciente tuus cliuo subcedere miles.
Non obstricta tuis iurando iure tenetur
Legibus, alterius modo Lusitania regnum.
Si tamen heinc paucas in supplementa coortes
Adscieris, iubeâsq; viros insistere monti,
Non ijs obstiterit vel formidata crepido,
Vel dorsi angustæ fauces. hastilibus ibunt
Per latus infestis, & lubrica saxa pruinis
Concretis, scandent, vel si de monte reuulsa
Fragmina deuoluat, telorumq; aëra turbet
Nimbo dira manus. tanta est fiducia genti.
Quum super hæc, contra genus hoc fataliter olim
Inueterato odio, & genio impellente feratur.
Ergo alacris, nec plus quam casside tectus aëna,
Atq; habili clypeo, nitetur ad ardua miles.
Quanto igitur pubes nunquam non fida tuorum,
In leges iurata tuas, iterataq; verba,
Promptius id faciet: dum per latera hispida montis
Conatu egregio, contempta morte subibit,
Præbebitq; animi spectacula pulchra vigentis.
Ignorâs ne fidem per tot tibi bella probatam:
Ignoras gentis celebratum robur Iberæ:
Nec venit in mentem quantum tibi pareat orbis:
Quot populi extremis à Gadibus vsq; Pyrenen,
Signa sequuturi tua sunt, quum buccina pridem
Exacuet resides animos: te Cantaber audax,
Te durus Vasco, duplici te Celtiber ortu
Non segnis bellare manu, comitabitur. acreis

ius lusitanus

ius capilla

noy

Vaccæos, clangente tuba, præsto esse videbis.
Armaq; Memnonium expedient genus Astures. illis
Sponte sua iunget Callæcia fortis alumnos
Vertere terga fuga indocileis. dabit impigra Vetto
Gens alacris cuneos, neq; Carpetania deerit,
Turdulus vna aderit celer, & pugnare parati
Bæticolæ. atq; alij. centum quibus adde dynastas,
Adde toparcharum numerofo examine turbam.
Adde sacros equites, generosum robur, & vna
Pontificum albatas sacro gestamine turmas,
Vexillo præeunte crucis. tibi fausta precati
Pontifices ipsi, tibi tot legionibus aucto,
Quas inter, volitans frater, cui nobile fecit
Austria cognomen, ductor fidissimus, ibit;
Poplitibus flexis Hispania supplicat, vno
Consensu, vt sprete de religione sacrorum,
Atq; eiurata poenas de lege reposcas.
Nomine rex Macedum quo tu adpellatus, Achææ
Quum libertati insidias longe ante pararet
Non intellectas, Cadmæa stirpe vocante,
Pollutam contra direptis Phocida Delphis;
Arma tulit, viridiq; comas connectere lauru
Mililibus, ceu pro violato numine vindex.
Imperat. Aonijs simul ac insignia nota
Offensi conspecta Dei, dilapsa repente
Lymphato rea castra fugam fecere pauore.
Si tantum potuit iusti simulatio belli
Quod finxere sacrum, facti si conscia turpis
Pectora religio contreruit impia, nostro
Quid sperare decet bellum faciente Philippo
Iure sacrum? non ne impietas confusa timore

Galiz

Joan. Dausch

Torpebit: quum sancta oculos perstringet imago
Effigiensq; Dei: quum totis vndiq; castris
Audiet Vltorem Christum clamore cieri:
Quum scelus admissum mens inrequieta reuoluet;
Quod ferrugineis Dirarum exercitus alis
Eumenidum, horrifico stridens ante ora sonore,
Obijciet, stygiôsq; acuet per castra latratus:
Nec, fugitiua tibi si quis plus efferat æquo
Agmina, propterea quod desperatio vireis
Addere consuerit, certiq; obcumbere, gratis
Non vincantur, eo quidquam moueâre . pusillis
Dixerit hæc animis . Palmam sine sanguine magni
Quamuis optarint, non æquauêre cruentæ,
Bellona variante, duces . Tigrane fugato,
Millibus innumeris cæsis, in honora putauit
Præmia se stragis tantæ Lucullus habere,
Quod ferrum aduersus muliebreis poene cateruas
Quæ tanquam lepores fugerent, strinxisse puderet .
At decus eximium Romana potentia partum
Credidit esse sibi, quum vix Hispania tandem
Fascibus immixtas adgnouit victa secureis .
Scilicet huc spectat mos, & non vana Sesostris
Niliaci ratio, soliti quum bella gerebat,
In molleis populos, opera leuiore subactos,
Ludere feminei per signa probrosa pudendi,
Pyramidum intersculpta notis, meliore figura
Significante mareis animos, & roboragentis,
Quam per discrimen Martis vicisse iuuaret .
Quanto igitur tibi nunc dubitator alea belli
Fingitur instantis, tanto te inlustrior æuo

Gloria victorem nullo interitura sequetur.
Te Deus omnifator, pro quo pugnabis, olympo
Astrifero excipiet, celsâq; in sede coruscum
Vernandos inter, bellatorémq; parentem,
Inter & heroas magna virtute, locabit.
Te bona posteritas mirabitur, atq; triumphum
Hunc, quoties lætum reuehet lux annua Solem,
Grata canet, vatêsq; tibi docta ora resoluent.
Certe ego, siquid id est, quod me non spernit Apollo,
Nec mihi cortinâmq; Dei, tripodâsq; mouenti
Surdus adesse negat, iam nunc Parnassia totus
Per iuga mente feror, totûmq; quod vnguula præpes
Elicuit, flumen sitio, vt te carmine digno
Prosequar. aut dabitur mihi si non tanta facultas,
Officium tamen omne suum non nostra remittet
Calliope, studiosa tui. quantumq; valebit
Ingenio, quantum ore, nouos celebrare triumphos
Adparat, huncq; tuis impendere rebus honorem.
Quas si forte minus potis est æquare canendo,
Saltem iter ingressis, calcar melioribus addet.

AD SEBASTIANVM EX-
cellsum Lusitaniæ regem,
epigramma.

Q Væ sublimipetas frustrata est ardea nuper
Accipitres iterum rex animose tuos,
Victa dedit poenas hodie, neq; celsa volatu
Nubila præsidio iam fuit ille supra.
Vnguibus hamatis pectus laniata, deorsum
Cum clangore tuos corruit ante pedes.
Aucupij euentum rear hoc, casum ve, futuri
An magis augurium: credo equidem augurium.
Præpetibus nisi nulla fides, his, bella gerenda
Credimus auspicio significata tuo.
Quæ mandata tuis ducibus si forte moratus
Aut semel, aut iterum barbarus hostis erit,
Astra licet iactet, quibus euenisse putetur
Isthæc vincendi quantula quumq; mora,
Non tamen est semper fortunam habiturus eandem
Quin cadat, ac subdat colla superba iugo.
Id, tua quum superis iam sit victoria curæ,
Deiecta è cælo præmonet ardeola.

Maiestatis tuæ cliens.

Resendius.

PERMISSV & AVCTORITATE
Dominorum inquisitorum.

EBORÆ.
Excudebat Andreas Bur-
gius Typographus.
Mense Martio

M.D.LXX.









